



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

106. An dubius si mandatum suum, aut consilium influxerit in homicidium
debeat se irregularem existimare? Et docetur non esse irregularem, qui
non potuit dissuadere foeminæ abortum, cuius consilio ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

de irregularit. quest. 4. punct. 8. ex num. 28. & per Farinacium 3. tom. quest. 130. de Consultor. num. 10. & 11. quod procedit, non velut in re dubia, sed in certa, cuius certæ fuerint necesse, & certæ percussiones, licet dubia aliqua sit circumstantia, quæ vinceret, non debet cegritudinem meri facti, quæ verè adest, & ita erit consultius abstinere, quam temerè, celebrare, ut textus idem subdit. Hucusque Escobar, cuius sententiam novissimè probabilem putat alius Escobar Societatis in Theolog. moral. tract. 4. examen. 6. capit. 5. num. 72.

6. Sed ego non audeo discedere à negatîva sententia communi, quam stylus Curie Datarie & Penitentiariæ observat infallibiliter. Et ita hanc sententiam novissimè docet, me citato, doctus & amicissimus Pater Franciscus de Lugo in princip. Theolog. moral. part. 1. quest. 27. numero 155. & quest. 26. num. 151.

RESOL. CV.

An si quis manet dubius, an suum consilium influxerit ad homicidium factum, debeat se reputare irregularem? Et in dicto casu, an standum sit dictis ipsius consulti, ita ut si dicat se motum non fuisse per consilium, consulens maneat liber ab irregularitate. Ex p. 4. tract. 2. Resol. 25.

Sup. hoc in
Ref. seq. &
infra ex Ref.
109. § No
tate per to
tum & sig
nante ante
medium, &
in to. 8. tr. 5.
ref. 8. 8. & in
aliis ejus
primæ not.

§ 1. AD hunc casum frequentissimum affirmative respondet Præpositum in 3. p. quest. 5. de irregul. dub. 8. n. 64. Sed negativam sententiam tenet Henriquez lib. 13. cap. 10. num. 3. in glos. lit. D. ubi sic ait. In dubio æquali post factam diligentiam potest practicè deponere dubium & scrupulum, reputans se excusatum ab irregularitate propter possessionem innocentie. Sic ille.

2. Verum sententiam affirmativam tenet etiam Sanchez tom. 1. lib. 1. cap. 10. num. 44. Sayrus de cens. lib. 7. cap. 3. num. 2. Merolla in disput. Theolog. m. 1. cap. 3. disp. 3. num. 251. Tabiena & Avila part. 7. disp. 6. sect. 2. dub. 2. conclus. 5. ubi nota quod si homicidium commissum si post multos dies, res manet dubia, an consilium influxerit. Sed quoad hoc, contrariam tenet Tabiena ver. consilium, num. 6. ubi sic asserit. In dubio præsumitur delinquentem fuisse motum ex consilio, aliis non fuisset facturus, & etiam si steterit per multos dies post præsumitur quod fecit propter illud consilium. Ita Tabiena. At cum Avila tenet Præpositus loco citato; tu ne discedas à sententia affirmativa, quam præter Doctoris citatos tenet etiam Petrus Cornejo in 3. part. tract. 5. de irregularitate disp. 1. dub. 2. ubi tamen, & optimè advertit quod in tali casu standum est dictis ipsius consulti, ita ut si dicat se motum non fuisse per consilium liber manet consulens ab irregularitate.

Sup. hoc in
ref. 1. not.
præterita, §
responde
tur, & in ref.
2. in eodem
§. & in ref.
3. §. sedem
§c.

RESOL. CVI.

An dubius, si mandatum suum, an consilium influxerit, in homicidium, debeat se irregularem existimare? Et docetur non esse irregularem, qui non potuit dissuadere semina abortum, cuius consilium ipse prius author fuerat. Ex part. 11. tractatus 6. & Misc. 6. Resol. 42.

Sup. hoc in
ref. præter
ita & in aliis
ejus primæ
not.

§ 1. NEGATIVE contra me, & alios responder ex Henriquez novissimè Pater Gibalinus de irregul. cap. 4. § 1. consulti. 11. num. 32. ubi sic ait; Nego in utroque illo dubio contrahi irregularitatem: quare

poterit Consiliarius iste deponere dubium practicum, atque sacra more solito peragere; quod evidenter sequitur ex regula universali à nobis stabilita concessa tertio, diximus enim in dubio facti contrahi irregularitatem in solo homicidio ex peculiari juris dispositione, quæ neque in aliis irregularitatibus valet, neque nisi in casibus à jure expressis, atque in jure nunquam habetur in dubio, an consilium influxerit in homicidium, contrahi irregularitatem, nam loca omnia, quæ tribuunt hanc irregularitatem consilio, supponunt vi illius positum fuisse effectum: de dubio autem an ex illo consilio fuerit secuti cædes nihil planè definiunt; quare relinquunt juri communi quod in dubio facti irregularitatem contrahi non vult, nisi in quibusdam casibus ab ipso jure expressis cap. ad audientiam, & c. significasti 2. de homicidio. Iteor quidem in hoc dubio præsumitur consilium fuisse operatum, ut cum Covar. diximus lib. de censur. cap. 5. § 3. num. 21. Quare ex ea præsumptione damnabitur unquam irregularis iste Consiliarius non ratione dubi homicidii, sed certi, & constantis ex ea præsumptione, cui definitioni non tenebitur se aptare forum internum quod ducitur rei veritate, & non sola præsumptione quam sequi sæpius cogitur forum externum. Hocque Gibalinus; & si hæc sententia est probabilis à multis scrupulis plures immunes erunt.

2. Sed ego non recedo à sententia, quam olim doctus cui & docet præter alios doctus Magister Cornejo in 3. part. tract. 15. de irregul. disp. 1. dub. 2. fol. 77. n. 3. ubi sic ait; Sed quid si consulens dubitet an ad hoc consilium præstitum hoc homicidium sit commissum, nec ne?

3. Respondetur standum dictis ipsius consulti, ita ut si dicat se motum non fuisse per consilium, neque ad substantiam, neque ad circumstantiam homicidii, liber manet consulens ab irregularitate; ita Sayr. lib. 6. c. 2. quod si hoc non possit ab eo sciri, utendum est prudentibus conjecturis, si omnibus pensatis existimetur consilium non concurrisse ad tale homicidium, consulens non erit irregularis si tamen omnibus inspectis dubium manet, irregularis est censendus; tum propter supradicta in dubio de homicidio, tum etiam quia in dubio præsumendum est, quod aliter non committeret delictum, nisi instigantur consilio, lege merito ff. pro socio. Ita Cornejo, cui adde Caltrum Palaum tom. 7. disp. 6. punct. 1. § 2. num. 3. & alios penes ipsum.

4. Verum circa præsentem difficultatem doctissimus, & amicissimus Barbi de consens. disp. 6. c. 7. § 8. num. 3. & 4. & Sanchez; Merolla distinguunt; Dico igitur primò; si constat de homicidio jam perpetrato, & dubitato solum versetur, an consilium præstitum, habuerit influxum aliquem in delictum, quia præsumptio est contra consulentem ipsum, deberet enim probare homicidium vi sui consilii minimè illatum fuisse, quod in quibusdam circumstantiis, hoc est, ex assertione occidentis adminiculata aliis conjecturis, poterit probari, si autem hoc non probetur, jus præsumit, quod si consilium datum non fuisset, homicidium illud minimè commissum fuisset; neque præsumptio ista censetur temeraria; quantum ex una parte habemus effectum, videlicet homicidium; & ex alia causa habemus causam sufficientem applicatam fuisse, nempe consilium præstitum, idcirco nisi oppositum appareat, censendum erit homicidium vi prædicti consilii secutum fuisse. Tunc veram censuram sententiam affirmativam; quia dicit secundò si dubium de influxu consilii emergat non constante de delicto, id est de homicidio, admittendum esse iudicio priorem sententiam, quia cum crimen non probatur præsumptio est pro reo, nempe pro consulente; ideoque non debet irregularem se existimare.

existimare. Et quidem omnes istæ tres sententiæ probabiles esse existimo.

5. Nota etiam hic obiter, Gibalinum ubi supra consensit. 12. num. 33. & Henriquez docere etiam contra me, non esse irregularem, qui non potuit dissuadere fecerit abortum, cuius ipse prius auctor fuerat, nam ait ipse, causa dicti abortus tunc causa est sola malitia ejus feminæ, non consilium ipsi datum, quod revocatum est, & impeditum ne fieret; cum enim sit causa moralis, & non physica; activitas impediri potest; nam revocatio consilii impedit irregularitatem. Sed nostram sententiam sustinet etiam Palaeus ubi supra num. 4. & Cornejo loco citato, Gibalini tamen, & Henriquez opinio sua non caret probabilitate.

RESOL. CVII.

Quidam consilium dedit cuidam, qui jam determinatus erat Petrum occidere, sed ex dicto consilio citius occidit, queritur, an incurrit irregularitatem?

Et inferitur non incidere in casum reservatum, si quis dedit consilium ad homicidium alicui parato homicidium facere, licet ex illo consilio postea libentius, & citius homicidium commiserit. Ex par. 8. tract. 7. & Misc. Resol. 92.

Respondent aliqui negativè, nam, ut ex consilio circa alicujus necem quis incurrat irregularitatem, aliquæ conditiones sunt necessariæ.

1. Primæ, ut homicidium verè consilio imputetur, hoc est, ut ejus fiat, nam si is, cui consilium tribuitur, non ab eo ad faciendam cædem, sed impellatur aliunde, hoc est, ab infuso sibi in interfectum odio, vel alia quapiam causa simili, erit ab irregularitate liber consulens. Portellus n. 12.

3. Secunda conditio est in eo, ut qui consilium recipit, antea per se ipse, de necando homine consilia minime ceperit, nam id sibi constitutum si fuisset, certumque, ab hac poena immunis foret, Hurtado de regul. disp. 2. diff. 6. n. 20.

4. Causa est, quod tunc non sit consulens homicidij, quoad substantiam, vera causa, quam in sententiam iure D. Antonin. par. 1. cap. 1. tit. 12. §. 12. Lessius lib. de iustit. cap. 1. §. 2. dub. 2. num. 6. non cum ergo irregularitas, quæ homicidij facti fuit, poena afficit.

5. At habet (inquies) à consulente interfecto, ut hæc sit numero, non illa, aut alia, deinde ut citius, ut inhumanius, ac crudelius illata fuerit, est ei; ergo ut causæ imputanda, non alteri.

6. Antecedente concessio, neganda est consequentia, ejus non admittenda est hæc causa, quod etsi consulens causa tunc sit distincti numero actus, non tamen in homicidium, quoad substantiam, influat, sed quoad modum dumtaxat, si qui sibi dari consilium patitur, ita erat animo comparatus, affectusque ante illud auditum, ac receptum, ut ipse sine illo rem confecturus esset. Et hæc omnia docet etiam Baumius in Theol. mor. par. tract. 11. q. 27. Confirmantur supradicta ex doctrina Lupi de cas. reserv. p. 2. cas. 8. num. 12. & Mazuchelli disp. 2. cap. 18. q. 2. num. 37. asserentium non incidere in casum reservatum si quis dedit consilium ad homicidium alicui parato homicidium facere, licet ex illo consilio postea libentius, & citius homicidium commiserit.

RESOL. CVIII.

Andetur parvitas materis excusans ab incurfione in

regularitatis propter accelerationem homicidij ex delicto.

Et notatur, quod qui alium inebriat non est irregularis, quamvis ille deinde ebrius alium occidat, aut muliet, nisi provideat illud periculum. Ex p. 11. tr. 6. & Misc. 6. Resol. 49.

§. 1. Vis v.g. erat jam firmatus occidere Petrum nocte sequenti, Palaeus verò fuit causa, ut citius tale homicidium committeret Petrus, queritur an incurrit in irregularitatem? Hunc casum invenio petra tractatum à docto Gaspare Hurtado Societatis Iesu de iust. & iure disp. 3. diff. 7. ubi me citato sic asserit: Est ergo difficultas, an si executor damni, illud absolute illaturus, v.g. occisurus Petrum, ut furaturus rem aliquam absque aliqua cooperatione ex dictis sex, non tamen eodem modo, quia cooperatio conduxit, ut citius fieret ab executeore, vel facilius, vel crudelius, vel animosius, vel alacrius, an tunc sic cooperans positive aliquo modo ex sex dictis teneatur ad restitutionem damni executioni mandati?

2. Cajet. quest. 62. Sol. lib. 4. q. 7. art. 3. Petrus Navar. lib. 3. cap. 4. Vasquez cap. 9. §. 1. dub. 1. & Bonacina disputat. 1. quest. 2. punct. 7. partem affirmativam tuerentur (quæ etiam aliquando mihi arrisit) quia tunc verè cooperatur aliquomodo ad damnum, imò aliquando ad actum damnificationis numero distinctum.

3. Adrianus verò in 4. quest. 2. de rest. Anton. 2. p. tit. 2. c. 12. §. 12. Lessius c. 13. dub. 2. Becan. de rest. q. 35. Layman lib. 3. tract. 2. cap. 5. & Diana tract. 5. ref. 84. partem negativam tradunt, & merito, quia tunc cooperatur non censetur moraliter causa substantiæ damni, seu cooperatur ad damnum quoad substantiam, quia quoad eam etiam absque ea executor erat, verbi gratia occisurus eandem personam, aut furaturus centum ejusdem personæ, sed tantum censetur cooperari ad damnum, vel quoad modum, vel quoad circumstantiam, vel quoad hunc actum numero distinctum: imò quoad alium modum, vel quoad aliam circumstantiam, etiam fieret ab ipso executeore absque dicta cooperatione, ex quo constat ad rationem adversariorum.

4. Et ob eandem rationem, qui nullo modo ex sex dictis censetur cooperari ad homicidium quoad substantiam, quia scilicet etiam erat committendum ab executeore absque cooperatione illius non incurrit irregularitatem, ut dicimus tract. de irreg. d. 1. diff. 6. quia scilicet tunc moraliter non censetur cooperari ad homicidium, quoad substantiam: qui est verum, quamvis sit causa, ut homicidium fiat citius, si parum citius fiat nempe duabus horis antea, quia brevis acceleratio mortis moraliter non censetur homicidium, saltem respectu mediæ cooperantis: bene tamen censetur, quando acceleratio est notabilis, nempe viginti, & quatuor horis antea, & idè tunc cooperans ad eam notabilem celeritatem fit irregularis.

5. Sed non gravabor hic apponere verba Caspensis in Cur. Theol. tom. 2. tract. 18. disp. 1. sect. 9. §. 2. num. 98. ubi sic ait: Sed quid si Petrus sit paratissimus occidere Joannem die Iovis, & Franciscus roget, & instet ut occidat illum die Martis, tenebitur ne Franciscus restituere sicut Petrus? Affirmant Doctores secundæ sententiæ, quia sunt causæ totius actionis, ut hic & nunc exercetur: neque potest esse causa accidentium mortis, qui non sit etiam causa substantiæ ipsius mortis. Censeo tamen cum eodem Lessio non teneri Franciscum restituere damna illata ex substantia mortis Joannis, sed tantum illa damna, quæ nata sunt ex anticipatione mortis illius. Ratio est, quia quod est causa ut differatur mors alicujus per tres dies,

Sup. hoc in Rel. præterita & lege doctrinam Ref. not. seq.

Quæ nunc est in tom. 8. tr. 7. Ref. 27. signanter §. Notandum est etiam, & in aliis ejus not.